

A 231
3

oo. J.

Hist.

III. C. 2

Quarto. R. 521.

~~III 4^{to} T 12. 2.~~

T. VI, 880.



Hoc in Volumine Cognatur

1. Philosophia respecta et invita ad Eccl: 2 p 8.
2. De suis gentium tabularibus ex antiquitate
3. Carmen Saculare de spiritu Et. ex Septo post. catina
4. De sacra scripture Sacre
5. De Dei nostri gratiam in Castiviam transmutantibus ad Iude 4.
6. De conclusione a mortuorum resurrectione ad resumptionem Christi valida dicitur xv p 13. 16
7. De loco fidei conjugalis vaculo ad chal: 2 p 15.
8. Fidelium Mapack dybis ad Ebr: VI p 14. 19. 20.
9. De Pauli e carre Pauli extracto dicitur XII p 7. 17.
10. Deus gratiosissimus
11. Cuetus fluminum ad Pr: LVII p 6.
12. De rebus tabernaculi abis templi
13. Concentratio philologica ad 1 Reg: xix p 4.
14. De fuit et structura oculorum, faciei, capillorum ad Deut: xxii p 5.
15. De locum eundem Diz: II. de speculo.
16. De usus opiniones doctorum quorundam
17. De anno tobaleo secundum disciplinam Hebreorum et Lev: xxv.
18. De quadriga Disputationum theos. de arbore Vita a Clemensio
19. De uro alborum calculorum apud veteres ad Apot: II p 11.
20. Dissertationem Ant. Hartmannianam tipa.
21. Manuactio philosophiae ad nobilitatem Dei naturalem
22. De animabus his mortuorum inter coelites concurantes in prima separatione
23. De Hocca et Vaticinio ejus
24. Phariseos a protolaphirta non baptizator
25. De justificatione coram hominibus
26. Disseratio epistolica ad Marc: XI p 10.
27. In T. S. Trinitas ex ratione demonstrari qualiter?
28. De casis meletematum philologicorum
29. De Iudeis preparium attrahentibus ad 1 Cor: III p 14.

33. Quod Christus in coena sua excepit in agnum paschalum non comedunt.
X 34. De proverbiis grecorum et hebreorum tractatio ad vol. secundum pag. 15.
35. Decas observationum philologicarum et litterarum

Grecia	Chaldaea
Etruria	Persepolis
Chaldaea	Chaldaea
Grecia	Assyria
Lamuriana	Coptica.

36. De feruolumnis auris
37. De Theraphim ad Horacem 3 v. 4. s.
38. Discours sur l'acquisition de la philosophie par la revelation.

* fillet

5

RECTORE ACADEM. MAGNIFICENTISSIMO;
SERENISSIMO PRINCIPE,
DOMINO,
^{AC} DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPES HEREDITARIO
DVCATVS MECLENBURGICI,
PRINCIPES VANDALORVM, SVERINI, AC RACEBVRGI,
COMITE SVERINENSIS,
ROSTOCHII, ET STARGARDIAE TERRARVM
DOMINO,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

TEMPVS QVADRAGESIMALE,
PASSIONIS DOMINICAE PIAE RECORDATIONI SACRVM,

INDICIT,

ILLVDQVE PIE, DEVOTEQVE TRANSIGENDVM,
CIVIBVS ACADEMICIS.
PRO OFFICIIS PARTIBVS,
SERIO COMMENDAT,
HAC ETIAM OCCASIONE

DE

DEI NOSTRI GRATIAM
IN LASCVIAM TRANSMVTANTIBVS
IVDAE, COMM. IV.
NON NVLLA DISSESTIT,
ACADEMIAE PRO-RECTOR
IOAN. HENRICVS BECKER,
S. S. THEOL. D. ET P. P. O.

ROSTOCHII,
TYPIS IO. IAC. ADLERİ, SERENISSIMI DVCIS AVLICI,
& ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



SERENISSIMO RICCO.

DOMINI HERICO.

DUCATI MECUM VAGIS.

TURMIS VITAE TERRAM.

DOMINI.

Sex retro anni sunt, Ciues Honoratissimi! quod, pro ratione eiusdem, quo hodie fungor, officii, Programmate quadragesimali vobiscum communicauerim Litaniam *de vulneribus Christi Herrnhanam*, eamque obseruationibus meis stipatam. Notabam tunc dictiones, in illo hymno antiphono occurrentes obscuras, hyperbolicas, ineptas, insipidasque. Reprehendebam inutilem battologiam, βεβήλως κενοφωνίας, *1 Tim. VI, 20,* vaniloquentiam mysticam, et aenigmaticam. Improbabam genus dicendi nimis humile, populare, puerile, exsuccum, profanum, sanctissimis Christi vulneribus longe indignissimum. Castigabam malefanas meditationes, insulfas allegorias, & phantasiae lusus procaces scandalosque. Indicabam regnante ubique Spiritum fanaticum. Sensum denique mitiorem, vel possibilem, sola, at christiano amori attemperata, coniectura, in illo inusitato scribendi genere inuestigare laborabam. Verum, temporis progressus, experientia infelix, & euulgata interim scripta copiofa, quae in illum numerum excreuerunt, ut de solis herrnhutanis rebus modica prope bibliotheca colligi possit, nimis aequum me, in coniectando huius hymni sensu, interpretem fuisse, nimis parum me dixisse, peiora omnia esse, quam quis tunc poterat suspiciari, obscuras dictiones, & allegorias non malefanas tantum esse, sed tegere etiam iniquitatis, quo maius, & ferocius vix vultum.

Ium , a condita N. T. ecclesia , auditum fuit , mysterium ,
abunde comprobarunt . Quod ego ranarum κακός & βρεκενεκέλος ,
ob insulfam dicendi rationem , referre duntaxat putabam , vere
ranarum vox erat , at illarum , quarum mentionem facit D. Joannes ,
Apocal. XVI. 13 , 14 , exeuntium nempe ex ore draconis , be-
stiae , et pseudoprophetae , immundorum spirituum diabolico-
rum . Virus enim suum , suamque spurcitatem euomuit postea
liberius & impudentius longe ZINZENDORFIVS , alter
ille Mahumed , qualem peculiari libello non iniuste adpellat
Strasburgensium Theologus S. R. D.N. D. FROEREISENIVS .
Zizaniam eum copiose spargere , veritati & pietati nocuam , re-
ligionum indifferentia laborare , versipellem maxime esse , de
argento opulentiores turpiter emungere , artibusque variis rem
suam iuuare , iam tum satis erat euictum . Fundamentum au-
tem religionis christianaæ , immo & naturalis , euersum ire ,
S. Scripturæ auctoritatem pessundare , vix vllum fidei articu-
lum fundamentalem interemerat relinquere , salutis ordinem
penitus disiicere , legem diuinam nauci habere , poenitentiam
ridere , vitae sanctimoniam ioco habere , sibi , suisque intimioris
chori sociis , omnia permettere , mulierum vsum communem
introducere , omni erga egenos misericordia carere , opibus a
se exutes in exilium mittere , captos tendinibus suis simplicio-
res , sectaeque suae adscriptos cunctos , vsu rationis priuare ,
& bruta obedientia sibi adstringere , ad incastum spurcumque
sensum & vsum de vulneribus Christi sanctissimam doctrinam
turpissime admodumare , Papismum reintroducere velle , crassis
de sua , gentes ad Christum ducendi , diligentia , mendaciis
mundum decipere , animarum , suae salutis cupidarum , multa
millia fraudibus ita illaqueare , vt pedem , quamuis velint , re-
trahere nequeant , constitutis praeterea earum directoribus
sceleratissimis nebulonibus , &c. omnia ista , vt crederet , quis a
se poterat impetrare aequus animus ? Quae paullatim rumore ,
& propalante vno alteroue e castris ZINZENDORFI trans-
fuga , percrebescabant , fidem vix inueniebant , de illata sibi ,
suisque ferocissima iniuria clamante , scribente hypocrita ver-
susfimo .



Verum, quod de huius farinae hominibus impostoribus-
que, extus piis, intus in cute scelestissimis, Apostolus, 2 Tim.
III. 9. praedicit: *Non proficiunt amplius!* (LVTHERVUS: Sie
werdens die Laenge nicht treiben.) Nam sultitia eorum manifestata
erit omnibus, sicut & Iannis & Iambri faceta est; id etiam ZIN-
ZENDORFIO, eiusque sociis, actu nunc euenit. Comperi-
t enim sunt tales, quales allegato loco ab Apostolo notantur v. 1-8,
vbi velut speculo, vera eorum facies apertius conspicienda ex-
hibetur. Detecta est eorum nequitia; reuelata ab iis, qui e
laqueis ipsorum tandem se liberarunt, in lucem protracta, &
castigata a cordatis Theologis, uno pluribus, praesertim a S. R.
D. N. D. BENNERO, HOFFMANNO, WALCHIO,
BAVMGARTEN, FRESENIO, & BENGELIO; ma-
nifestata etiam per seipsam, scriptis, sermonibus, canticis
praecipue, subinde impudentius fabricatis, eius quidem notae,
vt lecta, auditaque, non possint non in stuporem horroremque
rapere animum ψυχης honestum, nedum christianum, Nu-
minis reverentia captum. Dici enim vix potest, quam foedo,
salaci, impudico, plus, quam Petroniano aut Iuuenaliano filio,
quasi versans inter faunos & satyros, canens de vulneribus
Christi, de sacra Synaxi, de vnione Christi cum fidelibus my-
stica, de coniugio, de circumcitione Christi, & vbiunque
scurrili ingenio habenas laxandi occasionem reperire potest, res
verendas, & pudicis auribus tacendas, adtemperet rebus spiri-
tualibus sanctissimis, de Gnosticorum grege ZINZENDOR-
FIVS? Certe is, animi levitate, stili obscoenitate, religionis,
quam repurgare hypocrita gestit, temeraria violatione, frau-
dum & imposturarum facunditate, EDELMANNVM, acer-
bisimum ceteroquin religionis christianaes oforem et subiannan-
torem, hostem tamen apertum et profesum, nec vitae inhonestia
naturalia notatum, ita vincit, vt, comparatione secum insti-
tuta, pium illum faciat. Tollit enim re vera, et ridet omnem
honestatem naturalem, & ex hominibus, corrupendo eorum
tum rationem, tum mores, bestias format, indignus ciuitate poli-
tica, nedum ecclesiastica; potius, ceu pestis seculi spectandus,
et

❀ ❀ ❀

et, nisi viam Balaami tandem velit deserere, 2 Petr. II. 15, et
sobrius euadere e diaboli laqueo, 2 Tim. II. 26, permittendus
DEO iustissimo scelerum vindici, in cuius manus incidere, terri-
bile est. Ebr. X. 31.

Quamuis ergo supra memoratae, de vulneribus Christi,
Litaniae herrnhutanae pleniora nunc sensum, & illustrationem
hoc programmate possem et quidem ex ipsius Comitis sermoni-
bus publicis, qui in hand Litaniā typis extant, e postea fa-
bricatis hymnis, sat squalidis, e Zinzendorffianae Cohortis mori-
bus, & libidinosa praxi, arcana olim, nunc ad lucem solis ex-
posita, petitam, suppeditare; tamen, cum de his omnibus
nunc per alios satis constet, ne animis tenerioribus, parumque
consolidis, scandalum praebeam, quod mente alias constitue-
ram, propositum relinquo, et potius meditandum Vobis com-
mendo, quod, impietatem Zinzendorffianam animo mecum vol-
uenti, in recordationem mihi venit, dictum Apostoli Iudei E-
pist. Catol. comm. IV.: *Subingressi sunt quidam homines, qui olim*
praescripti fuerunt in hoc iudicium, impii, qui DEI nostri gratiam
transmutant in lasciviam, & solum dominatorem DEVM, & do-
minus nostrum, Iesum Christum abnegant.

Limitum huius scriptioonis memor, & breuitati studens,
quae pleniore quidem exegesi digna erant, succinctius tamen
persequar; praefertim, cum ea dudum sint plenius excussa
a celeberrimis ecclesiae nostrae exegesis, quos recensent B. DN.
WOLFVS, in *Curis* etc. L. LIEN THALIVS im bibl. Archiv,
et SCHETELIG, in *Biblioth. Dispp.* ad hunc locum.

Quare 1) prolixe non percensebo, quid sit πάλαι προγε-
γεωμένες ἔνας εἰς τὴν ίό κείμει! Sufficiat indicasse, quod cum
THEOD. BEZA, et IO. PISCATOR.E, Caluiniani in hac
phrasij praesidium querant absoluto suo decreto, nec erubef-
cant inde inferre: DEVM esse caussam peccati. Quod e
foste pro se eruere laborant, id etiam in versionibus, quas
hoc loco repeterem, nimis prolixum foret, non negligunt. Non
miror, SEB. CASTELLIONEM ita vertere: *olim ad hoc*
ipsum iudicium designati! cui etiam accedit h. l. Versio Anglicana,



non aequa Belgica & Gallica. Sed, quod ZINZENDORFIVS ita habeat: *Eben die, welche vorlaengst zu diesem Gericht angefetzet waren;* id indifferentismum eius, quo & hoc loco Calvino Reformatis placere studuit, non obscure confirmat. B. L V. THERI versionem, quam paullo clarius exponit S. R. DN. D. HEVMANNVS, in suo N. T. ita habens: *Gottlose Menschen, von denen vorzeiten schon geschrieben ist, dass sie in dieses Gerichte fallen wuerden!* vindicant, et aduersam sententiam confutant solide B. DORSCHEVS, in *Fragm. Commentarii in Epist. Iudaei*, edito a B. DN. D. FECHTIO, pag. 71. sqq. B. FEVSTKINGLIVS, in *Comment. in Epistolam Iudaei, inchoato* B. AEGIDII HVNNII Thesauro Apostolico, pag. 1155. B. D. SAM. POMARIVS, *Comment. in Epist. Iudaei*, pag. 169. sqq. B. D. ABR. CALOVIVS in *Bibl. Illustr.* ad h. l. Vnum addo: Quodsi προγενέφη πάλαι τοις ἡρῷαι, de actu iudiciali diuino decretorio inteligeretur, quum de decretis diuinis minus commode dicatur, quod sint formata antiquitus, rectius vero, quod sint formata ab aeterno; verosimile non est, Spiritum S. in hunc sensum, voce, πάλαι, uti voluisse, sed potius dixisse: απὸ ἀρχῆς, vel απὸ τοῦ αἰώνος. Itaque, ad extantem dudum de his homuncionibus praedictionem propheticam respici, recte colligitur. Atqui Christus, et apostoli, si a prophetis V. T. abstrahimus, pessima, per pessimos homines, tempora succedentia fore, saepe praenuntiarunt. Ipse *Iudas* h. l. ad praedictiones propheticas lectores suos remittit *com. 14-18, conf. Act. XX. 29* *1 Tim. IV. 1* sqq. Sed, concedamus, memoratam dictiōnēm, de προγενέφαις τοις ἡρῷαι, decretum diuinum exprimere, vt vertatur ita: *Qui dudum adiudicati sunt ad hanc condemnationem,* (quo de sensu varia notanda lege apud B. WOLFIVM, in *Curis crit. N. T. ad h. l.*) nullo tamen pacto exinde sequeretur, aut, dari decretum reprobationis absolutum, aut, peccati caufsam in DEO, & eius decreto refidere. *Impios* adpellat Apostolus hos προγενέφαυες; iustene DEVS, ab impiis & friuolis peccatoribus manum retrahere, illosque sibi ipsiis permettere, decernit? meruitne malitiose peccans, vt DEVS eum finat ruere

ruere in peccata grauiora? Qui contumaciter Numen spernit,
 et peccandi habitum contrahit, nonne is sua sponte fit semper
 peior? Judicium DEI permisuum, estne continuatae diu
 malitiae, tum per se fructus, tum iusta retributio? Efficienter
 solus homo, permisive DEVS, ad id, in quo constituitur
 iudicium, concurrit. Quo diutius a DEO homo se auertit,
 eo magis DEVM auertit a se: quemadmodum sol non recedit
 a terrae hemisphaerio, et noctem efficienter inducit; manens
 semper idem, et suo loco, spargens semper eosdem luminis
 radios; sed terrae hemisphaerium, a sole se auertendo, lumini
 solari se subtrahit, vnde vesperam et crepusculum, tandem,
 soli diametraliter oppositum, plenam noctem, & spissas tene-
 bras experitur. Quod temporis punctum, absque errandi pe-
 riculo, quiuis astronomicus potest προγράφειν infallibiliter, nec
 tamen ad ipsum effectum aliquid confert caussaliter. Pariter
 DEI, quorsum malitia homo processurus sit? praevidentis,
 προγράφη εἰς τὸ τόπον καίμα, infallibilis est, nec tamen usque
 quaque caussalis. Porro autem homo, qui cursum peccati non
 sifit, sed pergit, ut equus effundens se in praelium, Ier. VIII. 6.
 quamvis gratiam experiat reuocantem ordinariam, hanc ta-
 men, mali consuetus, subinde infirmat; vnde non potest non
 sequi induratio. Rectene in illum, ab aeterno ita praeuisum,
 ab aeterno etiam statuitur DEI προγράφη saepius dicta? Conf.
 Ps. LXXXI. 12. 13., Pro. I. 24 fqq. Ezech. XX. 39, Rom. I.
 24. 26. Indurationis autem, et diuinae manus retractionis,
 illud καίμα esse, quod Apostolus per pronomen τόπον designat
 (iudicio aeternae damnationis post mortem dilato) e verborum
 nexus patet. Non igitur, ait D. F. EVSTKINGIVS l. c. sermo
 hic est de DEI praevidentis consilio, sed de vindicantis iudicio! sq
 Nec 2) multis discutiendum mihi sumo quod cum quibus-
 dam Caluino Reformati, plus adhuc cum Socinianis, de eo
 disputatur: An hoc commate 4, verba: τὸν μόνον δεσπότην θε-
 òν, καὶ κύριον ἡμῶν Ἰητῶν Χριστὸν ἀρχέμενον, de Christo expo-
 nenda sint; quod nempe is sit; ὁ μόνος δεσπότης θεος? Calui-
 niani



niani, de voce Δεσπότης, an soli Deo Patri, an vero Christo etiam competat? litem sine causa mouent. Nam Christus alibi ita appellatur; sufficiat adlegasse locum pararellum 2 Petr. II. 1, vbi per redemptorem Δεσπότην, nemo, nisi is, qui vitam & sanguinem λιτέον pro nobis dedit, Matth. XX. 28, intelligi potest. Is autem non est Pater, sed Dominus noster Iesus Christus.

Vox, κύρος, in N. T. idem significans, quod πρᾶγμα in V. Tto, frequentissime, et apud Iudam b. l., Christo tribuitur, frequenter etiam Patri; saepe permutatur vox Δεσπότης & κύρος. Vnde sequitur, eiusdem has voces esse potestatis & significatus, in N. T. Qui essentiam eandem tribus DEI tatis personis fatentur esse communem, hos mirum est dubitare de communione nominum, exceptis personalibus. Sociniani autem, Christi veram deitatem negantes, de DEO separatim, et de Christo seorsim, Apostolum Iosqui, contendunt; ad DEV M referentes voces: τὸν μόνον Δεσπότην θεόν; ad Christum vero solam vocem: κύρον. Quodsi ex hoc loco unico vera Christi Deitas esset conficienda, & contra Socinianos vindicanda, vt item nobis hic mouerent, operae ipsis pretium foret. Iam, cum Deitas Christi è multis aliis Scripturae locis evidentissimis itaclare demonstretur, vt elaben- di, nisi per absurdissimas exceptiones, rimam non inueniant; hoc loco fluctus in simpulo cident. Ipsi, essentiale DEI nomen πρᾶγμα in versione graeca τῶν LXX, aliter, quam per vocem: κύρος, raro exprimi; hanc ergo graecam vocem etiam in N. T. essentiale DEV M significare, norunt. Nec momentum trahit, quod particulam: καὶ, urgeant, quasi per illam, ceu copulatiuam, duo indicentur praedicationis subiecta, DEV S nempe & Christus: Hanc enim particulam non copulatiue hic sumi, sed declaratiue, ut intelligatur, eundem illum θεόν Δεσπότην μόνον esse κύρον ἡμῶν Ἰησὸν χριστὸν, ostendit articulus, cunctis his nominibus communiter praemissus: τὸν; qui, si alius esset Christus, & alius, solus despota DEV S, hinc, si praedicationis forent subiecta duo, repetendus fuisset ita: καὶ τὸν κύρον. B. DORSCHEVS loc. cit, ad haec praedicata non incongrue coniicit, apo-



apostolum, de Christo loquentem, cumulasse, data opera, haec nomina: Δεσπότης, Θεός, Κύριος, ut nempe deitatem Christi eo plenius diceret: Septuaginta enim interpretes in V. T, vocem יְהוָה exprimere frequentissime per vocem: κύριος, אֶלְהוֹן, per vocem: Δεσπότης, אֱלֹהִים, per vocem: Θεός. Pluribus contra Socinianos rem confecerunt, post eos, quos supradilegauit, D. CALOVIVS, in Bibl. Illustr. D. LANGIVS, im Apostol. Licht und Recht, PRÜCKNERVS, in Vindictis biblicis, ad h. l.

Sed iam me conuerto ad textus reliqua, vt dispiciam, quis sit ille gratiae DEI nostri, et domini I.C., abusus, quem apostolus innuit, adcusando χάρεων μετατίθετες; hinc: quid αἰσέλγεια, qua eum negant? deinde, qui sint illi, ad quos hac adcusatione apostolus figillatim respiciat? De singulis, qua fieri potest, breuitate, dicam.

Per gratiam, quae in abusum trahitur, non generalis illa, qua multis beneficis homines DEVIS, cumulat, creando, conservando, prouidendo, alendo, custodiendo, intelligenda est; sed potius specialis, spectans ad animam saluandam, exserta in redemptione per Christum facta, hominibusque in euangelio oblata, Iob. I. 16. 17, gratia mere gratuita, Ephes. II. 8, qua sine merito iustificamur, Rom. III. 24; peccatorum remissionem obtinemus Act. X. 43, et iure filiationis diuinae donamur I. 12, cum certa spe aeternae salutis. Rom. VIII. 17. Haec gratia DEI nostri salutaris Tit. II. 11, χρηστότης, καὶ φιλωθρωπία DEI nostri saluatoris Tit. III. 4, ad salutem non postulat propriam hominis operationem Rom. IV. 5, sed ad diuitias iustitiae, et satisfactionis Christi hominem peccatorem ablegat, Rom. V. 20, Ephes. II. 7, paraquam esse omnia docet, Luc. XIV. 17. & nil, nisi fidem, a parte hominis, requirit Act. XVI. 31. superabundans est prae omni peccatorum multitudine et pondere, Rom. V. 20, supponit vniuersalem Patris benevolentiam, 1 Tim. II. 4, fundatur in fraterna I. C. redemptio, 1 Tim. II. 6, includit gratiam Spiritus S. adPLICATricem, 1 Cor. XII. 3, offertur in mediis salutis, 2 Cor. V. 18-20, recipitur fide, secundum ordinem salutis a DEO in nobis efficienda, Coloss. II. 12, 1 Cor. VI. 20, fi



dei tandem Christianae, quae creditur, cuius Apostolus mentionem facit, b. l. com. 3, est fundamentum, et euangelium ipsum. Act. X. 36.

Posita gratia DEI, ponitur hominum, quibus illa offertur, et applicatur, summa obligatio, ut nimur ea recte vtantur, eam rite collocent, in salutarem sibi, quo DEVS honoratur, Christusque glorificatur, vsum vertant, vitentque ea, quae tanta gratia indignos eos possint reddere, 2 Cor. VI. 1, 1 Cor. VI. 20. Is rectus vhus flagitat cor, ob peccata, e lege agnita, vere contritum, iustumque DEI vindictam humillime exhorrefcentem, Isa. LVII. 15, Ierem. III. 13, 1 Iob. I. 9, flagitat fidem non fucatam, qua tantam homo sibi adplicet gratiam, Io. III. 16. 18. Phil. III. 9, Act. X. 43, requirit etiam renouationem cordis, Ephes. IV. 12 seqq., ut fides operetur intimam mentis erga tantum benefactorem gratitudinem, Coloss. I. 10-13, Luc. VII. 47, imitationem Christi, Luc. IX. 23, Phil. II. 5, sanctitatem vitae, 1 Petr. I. 15 seqq. 1 Io. II. 6, crucifixionem carnis Gal. V. 24, Tit. II. 12, ut DEO fructus homo ferat, locupletes, Io. XV. 1 seqq., Phil. I. 15, Christusque in illo viuere cognoscatur. Gal. II. 20.

Ea omnia, qui negligit, et contraria facit, ille gratiam non collocat recte, sed transfert in aliud institutum, et ad prauum scopum dirigit, hinc in abusum trahit. Faciunt hoc omnes, qui aut nolunt sobrie obseruare ordinem salutis, fidem iacentes, antequam de peccatis serio doleant, accedentesque ad euangelium profano corde, et manu quasi sacrilega; aut, qui cum accepta gratia, cum dulci euangeliu putant stipe posse peccati dominium, pruarumque concupiscentiarum expletionem, effrenamue carnis licentiam, aut, quod peius est, qui ipsam doctrinam corrumpunt, docentes, legem per Christum exauditorat esse, libertatem christianam inuoluere viuendi licentiam, omniaque modo Christum fateamur, in saluo esse; semel enim conueris in damnationem cedere nihil! Ita, qui aut docent, aut agunt, sunt μετατιθέντες τὴν χάρην τῷ θεῷ, hinc gratiae contemtores.

Notat autem in impiis, qui tunc subingredi erant, Apostolus μετατιθῆσθαι εἰς αὐτολγεῖαν. Vox αὐτολγεῖα in N. T. frequenter



ter occurrit, non quidem semper eodem sensu et de actu eodem speciali, impuritatis tamen, lasciuiae spurcitie, in verbis, ac gestibus, naturali honestati repugnantibus, obscoenitatisque significatum semper habet; quo etiam sensu apud profanos scriptores, ut plurimum occurrit. Hinc omne lasciuiae, procacitatis, libidinis et carnalis voluptatis genus includit. *Vid. LEIGHII Crt. S. & STOCKII Clauem N.T. ad hanc vocem. Generalissimo B. LVTHERVS sensu reddidit: Muthwillen, ZINZENDORFIVS: Unverschämte Büberey.* Videtur autem, Apostolum h. I. ad carnalem et infandam lasciuiam vtique respicere, licet cum pluribus aliis impietatis operibus coniunctam; id quod aperte satis docet com. 7, vbi hos $\alpha\tau\sigma\lambda\epsilon\delta\epsilon$ componit cum Sodomitis, qui scortationem expluebunt, et post aliam carnem abierunt; & com. 12. eos adpellat: $\alpha\pi\lambda\alpha\delta\epsilon$, quam vocem LVTHERVS apte reddidit: *Unflather, pessimorum hominum colluuiem, tandem com. 8. $\alpha\tau\sigma\lambda\epsilon\delta\epsilon$ μακάρων, carnem polluentes; conf. 2 Petr. II. 18.* Hac $\alpha\tau\sigma\lambda\epsilon\delta\epsilon$ abnegari ait Apostolus DEVUM unicum Despotam, Dominum nostrum Iesum Christum. Verbum: $\alpha\vee\gamma\omega\mu\alpha$, tum recusationis, tum negationis et abnegationis sensum habet. Hoc loco, et parallelo, 2 Petr. II. 1. utraque significatio obtinere videtur. Per se sequitur, quod, qui Christum recuset, is eum in tantum neget, et contra. Qui Christum non fatentur illum, qui est, sed fingunt alium, ut *Ariani, Photiniani, Sociniani*, quibus Christus est nudus homo, aut, non $\phi\acute{u}tei\theta\acute{e}\delta$; illi, quamvis Christum extus honorare videantur, tamen illum negant. Qui illum, DEVUM quidem esse, admittunt; pro nobis autem plene satisfecisse, aut, meritum eius ad nostram iustificationem sufficere, vel requiri vnicet, abnuunt, quod docent *Fanatici, & Pontificii*; illi reuera eum in tantum negant, nec puram de eo doctrinam custodiunt. Qui Christum, eiusque meritum pure quidem fatentur; sed eius merito peccandi licentiam sibi accreuisse putant, Rom. VI. 1. Christumque seruum peccati faciunt, Gal. II. 17, nolentes agnoscere, eum sibi acquisuisse populum peculii, aemulum bonorum operum Tit. II. 14, velleque nostram sanctificationem, 2 Cor. VII. 1, 1 Thess. IV. 3-7, qui fidem in Christum ore iactant, sed operibus ipsis excutint, Christumque denuo cruce-

eifigunt, Ebr. VI. 6. Illi actu ipso, et operibus eum negant: quem admodum DEVM ipsum negare dicuntur, qui eum quidem protentur, ita tamen viuunt, quasi, non esse DEVM, crederent. *Tit. I. 16.* Quum ergo apostolus Iudas, ἀγρυπέντε χριστὸν θεὸν, et quidem, ἀσελγεῖα, atro calamo notet: manifestum est, operibus certe, et vita scelestissima, hos eum abnegasse. *Conf. v. 7. 8. 13.* Dubium autem nullum est, quin ipsa etiam doctrina sua, negauerint Christum, corruerintque coelestem de eo veritatem. Apostolum hoc non minus innuerit, docet abnegationis obiectum, quod est, *vniuersus despota DEVIS.* *& Dominus noster I C.*, quae plenior Christi denominatione sensum reduplicatiuum habet, et indicat, quod his pessimi homines Iesum, vt DEVM, et Messiam, negauerint.

De utroque nobis apertius constabit, edocetis, quinam fuerint illi *subingressi auctorētē*, de quibus Apostolus sigillatim, testo licet eorum nomine, h. I, loquatur, et contra quos *fides sanctissima omni contentione tuendam commendet?* v. 3. Conueniunt autem, viam praelucente Historia ecclesiastica, et Chronologia, in hoc fere omnes exegetae, Apostolum utrumque, Iudam h. I. & Petrum, 2 Epist. II. 10 seqq. digitum praecipue intendere, tum in *Simonem Magum*, aut potius in eius discipulos; tum etiam in *Nicolaitas*, qui deinde *Gnosticorum* nomen sibi tribuerunt, certe nouam progeniem *Gnosticos* habuere. A prima enim ecclesiae N. T. nativitate, & infantia, Christi regno suum opponens, diabolus, suscitauit homines, et doctrina, et moribus corruptissimos, idque curauit, vt, hinc mendaciis, et pestiferis erroribus, hinc, sceleratae vitae exemplis, ecclesiam turbaret, et seduceret, regnoque tenebrarum, quantum efficeret posset, aucto, ad seclas Christi fideles, numero semper pauciores, tandem extirparet. Docuit etiam, proh dolor! experientia, per seductionis viam plus, quam externa violentia, et dirissimis persecutionibus, ecclesiae cacodaemonem nocuisse. Paulus Apostolus in suis epistolis, quotiesne conqueritur, de *falsis*, ecclesias turbantibus, lege euangelium vitiantibus, *fratribus!* vnde ad Galatas integrum epistolam scribendi ansam sumit. Quamne nocios veritati fuisse oportet, quos idem Apostolus adpellat; *canes, et malos operarios*, *Phil. III. 2,* optatque,

ut abscondantur ecclesiam inquietantes. Gal. V. 12. Quid non iam
 tum glisebat mysterii iniurias, vnde tantam praenuntiat, post
 secutam, apostasiam! 2 Thess. II. 7. Quid moliti sint Phygellus,
 et Hermogenes? 2 Tim. I. 15, Hymenaeus et Philetus 2 Tim. II.
 17, specialius quidem, memoriae non proditur; sufficit tamen,
 tales fuisse, qui defecerint ab apostolica doctrina, et, quorum er-
 rores, gangraenae pascenti apostolus comparet. D. Ioannes, num-
 fine causa mentionem iniciit eorum, qui ex ecclesia Christi exie-
 runt, atque, de ecclesia non fuisse, 1 Ioa. II. 19. Num fine caussa
 hortatur ad probandum spiritus? adiicitne, Pseudoprophetas multos
 iam tum exiisse? 1 Epist. IV. 1, hosque negare, Iesum esse Christum,
 ibid. v. 2. 3, 2 Epist. v. 7. 9. 10. Quum ergo idem Apostolus,
 vel potius ipse Filius DEI, iam illo tempore nominet, et de-
 testetur Nicolaitas, Apocal. II. 6. 15. adhaerentesque doctrinae Ba-
 laam, quorum fit, comedere idolothysia, et scortari, ibid. com. 14, ma-
 nifestum est, homines, doctrinam moresque corruptentes
 iam tum invaluisse, et eosdem esse, contra quos, eodem aeuo,
 Petrus et Iudas, imaginem eorum exactius pingentes, iusto
 zelo pulsi, scriperint. Vixisse illo tempore etiam Menandrum,
 Ebionem, et Cerinthum, contra quos Deitas Christi vindicanda
 erat, nequit negari. Simon vero Magus hypocrita ille, de cu-
 ius conuersione quadem, at et nequitia, pauca narrat Lucas,
 Actor. VIII. ad pristina, immo ad longe peiora, relapsus, pri-
 mus fuit compertus haereticus, multos seducens, et post se tra-
 hens, e quorum turpissima colluie tot pestiferae cohortes, quot
 ecclesiam deinceps infestarunt, detestandae haereses, originem
 traxerunt. Vnde Simon Magus, πατής, καὶ Δημιουρὸς αἰγάλεων,
 merito solet adpellari. An inter haereticos sit iure nominandus?
 dubitat Reuerendiss. Dn. a MOSHEIM, in Inst. Hist. Christian. Antiqu.
 pag. 122, vultque, inter hostes potius Christi esse reensemendum,
 quia honoris et gloriae, seipsum Christo opponens, illi reliquerit
 nihil. Verum, perinde est, vt ut spectetur; sufficit, Christum ab-
 negasse quam maxime, ad quem tamen erat conuersus ante; di-
 scipulosque habuisse quamplurimos, semper nouas haereses su-
 citantes. De IO. CHRIST. EDELMANNO idem quaeri, et di-
 verso sensu, adfirmari et negari posset hodie. Huius ergo Simo-
 nis

sis, hominis pestilentissimi, & ad seclarum eius, *Simonianorum*, tum quoque *Nicolitarum*, sive separatis, sive coniunctim eos spe-
ctes, non minus pestifera fuere dogmata, quam infanda li-
bidine polluti mores. Quare non minus *ασελγεία* abusi sunt
gratia DEI, quam Dominum nostrum I. C. doctrina vere ab-
negarunt. De vtroque dubitare nequit, qui consulat Historiae
ecclesiasticae scriptores: Adeo GÖTTFR. ARNOLDVS
ipse: *in der Kirchen- und Ketzер-Historie*, illud simpliciter ne-
gandi, locum non inuenit, quamuis, an omnia, quae de di-
ctis haeresiarchis, eorumque doctrina & moribus, a viris, ab
hoc saeculo remotioribus traduntur, satis fundata sint? more
suo subdubit, fidemque scriptorum faciat sublestant. Ut
tam errorum, quam flagitorum, *Simonianorum*, *Nicolitarum*,
Gnosticorumque catalogum hic exhibeam, spatium non permit-
tit. Confluent omnia in illam summam, quam exhibent supra
adlegata Iudae, et Petri, Apostolorum, verba. Quod enim
de horum haereticorum non minus erroribus, totam Christia-
nam fidem euertentibus, quam, de morum abominationibus,
tradunt scriptores ecclesiastici: IRENAEVS, EPIPHANIVS, NI-
CEPHORVS, PHILASTRIVS, AVGVSTINVS, quibus adde, B,
ITTIGIVM, de haeresiarchis priorum Seculorum, et COLBERGIVM,
de Orig. et Progresu haeresium, SAGITARII item MICRAELII,
KRANZII, Hist. Eccl. & plures; hoc ita comparatum est, ut peiora
vix possint ex orco excitari. Conf. de coetero CHRISTOPH. SAM.
MARTINI, *Comment. super Iudae Apost. Epist. Cathol.* pag. 133, seqq.
& B. DN. D. IO. FECHTIVM, de certaminis fidei aduersus impietatem
idea, ex Epist. Iudae catholica: Rost. 1696, pag. 9, seq. Quod maxi-
me mirum est, coenosi hi homines insignem fibi tumide arrogan-
tia scientiam, iactaruntque angelica alloquia, coelestes reuelationes
et visiones, pro more impostoribus semper solemini!

Quemadmodum, ergo ex iis, quae, prospatio proposito, hacte-
nus differui, satis patet, non minus Iudam Apostolum, in excitato
fuae Epist. Cathol. com. 4, quam Petrum, 2 Ep. Cap. II, fere toto, loqui,
de pestilentissimis ecclesiacae sui temporis corruptoribus, DEV'M,
unicum dominatorem, et Dominum nostrum I. C. abnegantibus, gratiam-
que eius in lasciviam transmutantibus. Ita non erramus, adserentes
quod

quod ad successura etiam ecclesiae tempora simul respexerint; propheticō spiritu indicantes, talia ecclesiae carcinomata in suo genere numquam esse defutura. Petrum *l. c. com. 2.* tempora quoque futura innuere, pariter atque Paulum *2 Tim. III. 1 seqq.*, ipsa littera docet. Rerum, quae in ecclesia contigerunt, plane ignarus esset, qui tales, DEVM, Christumque, aut doctrina, aut operibus, aut vtrisque, sigillatim etiam effrena *ασελγεια* abnegantes, cum aevo apostolico desiisse, nec per sequentia saecula quoque, a Cacodaemonie excitatos esse, adfirmauerit. Possent fane huius farinae homines veteris et recentioris aeui, nominari quamplures. Possem speciatim de Cleri Romani, inter quem & Cardinales, et ipsi Papae, testibus ipsis historicis Pontificis, frequenter eminuerunt, satis manifesta, et dudum explorata *ασελγεια* differere. Legatur vel unici ANT. GAVINI *Passe par tout de l'Eglise Romaine*. Possem recentioris colluiciei Ronsdorffianae mentionem iniicere. Sed ab omnibus ipsis abstrahbo, christianum lectorum solum obtestatus, ut oculos conuertat in ZINZENDORFIVM, eiusque cateruum, videatque, anne in hoc hominum genus (non omnes, agmen ZINZENDORFI sequentes illaqueatos, miseros, bonaे mentis homines, externa sanctitatis larua fascinatos, intelligo; sed Comitis intimos, intimioris chori confortes, die Chor-Verwandten, die Kreuzluftvöglein, die ganzen Hertzels, die den Plan imgantzen angenommen, die auf ganz geformet sind) apprime quadret illud Apostoli? subreperunt (non vocati, sed superbia, et reformatismi intempestui spiritu incitati, per fraudes, et pietatis simulationem) impii homines, olim prae scripti in hoc iudicium, qui DEI nostri gratiam transmutant in lasciviam, et solum Dominatorem DEV M, et Dominum nostrum I. C. abnegant? Errores enim Zinendorfiani in doctrina, a tot Theologis detecti et confutati, vid, vel folius S. Reu. DN. D. CAROLI GOTTL. HOFFMANNI, *Herrnhuthische Grund-Intibücher*, tales & tanti sunt, vt DEVM verum abnegent, S. Scripturam concilcent, legem tollant, ordinem salutis depravent, Christum, et eius vulnera, et meritum, licet semper in ore gestent, fannis tanen excipiunt, et spurcissimis cantilenarum suarum deliramentis opprobrio habent, veram conuercionem destruant, vitae sanctimoniam, omnia, quae volunt, sibi permittentes, tollant, Christianam denique religionem totam turpiter corrumpant. Mores autem huius cateruae, et viuendi ratio, maximam partem in fraudes, impietas clandestinas, petulantias, et praecipue



ciplie, εἰς ἀσέλγειαν, exuta verecundia, vt innocentiae statum referant; omni, intolerabilem abeunt. Ita, vt impurus, quo reguntur, spiritus, fe-
vbique prodat; testibus lascivis ipsorum, quibus res sacraissimas conspur-
cant, canticis, institutisque clandestinis, quae post plures, luci nunc expo-
sunt plentissime illorum transfuga HENR. IOACH. BOTHE, in der Be-
schreibung des nunmehr ganz entdeckten Herrnbutbischen Ebegeheimnisses, nebst
dessen 6 Grundartikeln, P. I., cui nuper prime accessit Pars II., nebst 17 Grundar-
tikeln. Examinet quin cordatus nequissimam hanc cohortem ad 2 Tim.
III, i-6, 2 Petr. II, tot. Iudae, 4-13, iudicetque, anne ea omnia eidem com-
pertant, et singula? ita, vt Zinzendorfianos re&te quis appellauerit Neo-Nico-
latas, et Neo-Gnosticos. Quare ac hac collutie Dn. WESLEY, senior, Me-
tobodifaru*m* in Anglia Caput, postquam ZINZENDORFIVM penitus cog-
noscendi occasionem habuit, merito diuotiorum fecit; referente Dn. M. GE-
ORG. WILH. ALBERTI, in denen Briefen vom neuen Zustand der Religion
etc. in Grossbritannien, pag. 149. Non possum, quin hoc transcribam Comi-
cis de ZINZENDORF verba, quibus, in litteris ad memoriam Dn. WES-
LEY datis, sequentia rotunde proficitur: *abnegationem omnem respuimus,*
concubamus: Facimus credentes, omne, quod volumus, et nibil volera. *Mortifica-*
tionem omnem ridemus. Nulla purificatio praecedit perfectum amorem! Ex his
enim solis, cuius spiritus progenies fit hic homo? Satis tuto colligitur, Ita
diabolus semper ludit vetustam fabulam, mutata duntaxat externa scena
facie, nec ab hoc opere defister, prius, quam faciem finem faciet Christus ad-
venturus in gloria.

Nos, Ciues Honoratissimi! hanc hominum pestem fugiamus! hanc im-
mundam colluuiem, meritum et vulnera Christi ad licentiosam vitam et in
ἀσέλγειαν transferentem, serio detestemur, sanctitatisque specie singulari
incidentes spiritus ad lapidem verbi diuini lydium prudenter probemus!
Sub illa enim larua incendens diabolus, seque in lucis angelum transformans,
eo peior, et furiosior est, quo minus hac specie aperte terret, sed similito-
ribus potius blanditur, ut perimat eo certius. Quare, a diabolo sanctu*li*
bera nos Domine! Feruidissimis precibus inuocemus DEVMT, vt eccl esam
stiam ab hac peste Zinzendorfiana quantocuy liberet, reducatque in viam
animas misere seductas. Deuota mente DEO, nostro redemptori, agamus
gratias, pro ineffabili, quo animam pro nobis posuit, amore; vulnera eius
exosculemur vera fide, in vita sanctimoniam haud fucatam influente!
Gratiam DEI nostri redemptoris collocemus iusto loco, non transferentes
ad vitam licentiam, sed adipicemus ad morum castitatem, omnemque Chri-
stianam perfectionem! Ita glorificabitur Christus per nos, et spiritu et corpore,
quaesunt DEI, i. Cor. VI, 20. Tandem: Firmum fundamentum DEI subsistit,
habens sigillum hoc: Non sit Dominus, qui si sunt, et desistat ab iniustitia, omnis;
qui nominat nomen Christi. 2 Tim. II, 19.

P. P. SVB SIGILLO PRO-RECTORALI,
DOM. QVINQVAGES. ANNO MDCCCLII.


64199

AB 64-199



TA->2c

TD 17



5
e

AD E M. MAGNIFICENTISSIMO,
SIMO PRINCIPE,
AC
OMINO,
FRIDERICO,
IPE HEREDITARIO
S MECLENBURGICI,
ORVM, SVERINI, AC RACEBVRGI,
VITE SVERINENSI,
ET STARGARDIAE TERRARVM
DOMINO,
OSTRO CLEMENTISSIMO.
S QVADRAGESIMALE,
ICAЕ PIAE RECORDATIONI SACRVM,
INDICIT,
DEVO TEQVE TRANSIGENDVM,
S A C A D E M I C I S.
GO OFFICI PARTIBVS,
IO COMMENDAT,
ETIAM OCCASIONE
DE
OSTRI GRATIAM
AM TRANSMVTANTIBVS
DAE, COMM. IV.
NVLLA DIS SERIT,
MIAE PRO-RECTOR
ENRICVS BECKER;
S. THEOL. D. ET P. P. O.
ROSTOCHII,
ADLERİ, SERENISSIMI DVCIS AVLICI,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

B.I.G.